


1801

68





Pri. Co. num. 219

12

I. N. SS. T.

DISPUTATIO JURIDICA *1666, 3*

DE JURE

10

ADCRESCENDI

P. 208

Quam

PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO, NOBILISSIMO, AMPLISSIMO & CONSULTISSIMO

DN. JOH. OTTONE
TABORE,

Jcto eminentissimo, Serenissimi Principis Hasso-
Darmstadini aliorumque Statuum Consiliario Gravissimo,
Inclytæ Universitatis GIESSENÆ Cancellario &
Professore primario,

DN. PATRONO, PROMOTORE AC PRÆ-
CEPTORE ÆTATEM VENERANDO.



Publico Examine excutiendam sistit & exhibet,

AUGUSTUS AEXZENSIS
BRUNSVIGENSIS,

AD D. 17. NOVEMBR.

IN AUDITORIO JCTORUM

GIESSÆ HASSORUM,

Typis JOSEPHI DIETERICI HAMPFELII, Acad. Typogr. Ordin. 1666.





V I R I S

Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis atq; Prudentissimis

DN. JOHANNI *Recken* / J. U. D. & Con-
sistorii, quod Hannoveræ est, Adfessori Gravissimo

DN. HENRICO SMALIAN, J. U. Dd.
& Reip. Quedlinburgensis Syndico Dignissimo.

DN. GEORGIO *Recken* / Ecclesiæ Exem-
ptæ Cathedralis DD. Simonis & Iudæ Canonico Seniori,
& Civitatis Liberæ Imperialis Goslariensis Senatori Gra-
vissimo.

DN. JOHANNI WILHELMO *Hagen* /
Serenissimi ac Celsissimi, gloriosæ memoriæ, Principis ac
Ducis Brunsv: & Lüneb: AUGUSTI quoudam Præfecto
in *Harsburg* / nunc Reip: Goslariensis Senatori Gravissimo.

*Dn: Cognatis Fautoribus atq; Promoto-
ribus perpetuò suspiciendis Disputationem hanc in
grati animi tesseram*

Offert & Dedicat

A U T O R.



I. N. D. N. J. C.



URIS adcrescendi materiam non minus utilem atque difficilem tractandam suscipienti ante omnia vocabuli *adcrescendi homonymia* evolventa est; *Primò* autem illud generaliter omnem accessionem denotat; quâ in significatione Imperator. Iustinianus eo utitur. *in Constit. de confirm. Digest. Tanta circa nos §. pen. dum ait: tertiam partem mundi sibi adcrevisse.* In quo significato etiam sumitur, quando per alluvionem fundo nostro aliquid adcrecere dicitur. *in l. 56. de acquir. rer. dom.* Personis quoque istud vocab. olim accommodabatur; veluti servo, qui ab uno saltem dominorum manumissus alteri accrescebat, *§. ult. l. de donat. it. filiabus & nepotibus à testatore præteritis i. e. neque institutis neq; exhæredatis, qui scriptis hæredibus accrescebant v. pr. l. de exher. liber. Vlpian. in fragm. tit. 22, h. e. simul cum hæredibus scriptis a pat. nam hæreditatem à lege vocabantur. Strictiù autem, uti & hîc, accipitur pro illa accessione, quâ portio conjuncti deficientis v. gr. hæredis, aut legatarii suam portionem agnoscenti ipso jure instar alluvionis obvenit.*

Homonymia vocabuli adcrecere.

Synonymicè vocatur jus conjunctionis

A

Synonymia.

on-
Dd.
m-
iori,
Gra-
en/
is ac
ecto
mo.
oto-
nc in
OR.



tionis. in l. si sub conditione. 16. quib. mod. ususfr. vel usus. am.

Definitio
juris ac-
crescendi.

II. Jus ad crescendi, uti appellatur in l. 1. pr. & §. 3. 4. l. 3. pr. & §. 2. l. 6. §. 1. l. pen. de ususfr. accr. it. in l. 17. §. 1. de her. inst. l. 59. de acq. vel. om. her. l. 3. §. ult. de bon. poss. Germanis dictum das Recht der Anwachsung. vid. Gail. de pace publica c. 14. N. 15. Describi potest, quod sit jus acquirendi portionem deficientis, illi, qui suam agnovit, propter factam conjunctionem competens. Wesenb. in parat. de jure accresc. sic definitur: Esse jus, quò duobus aut pluribus conjunctis; altero deficiente, alteri pars deficientis adicitur & accrescit. Cujac. tr. 5. ad Africam sic describit: Esse jus retinendæ vel nanciscendæ partis ejus, qui non concurrit, vel concurrere desiit. Meam defendam.

Distincti-
ones.

III. Distinctiones possunt ex causis sumi: Nam si causam efficientem respicias; Aliud sanè accrescendi jus ex sola lege descendit: l. si ex pluribus. 9. de suis & legit. heredib. Aliud ex dispositione testatoris. §. si eadem. 8. l. de Legat. Deinde à causa subjecti: Aliud occurrit inter re tantum cōjunctos, quod propriè jus nō decrescendi dicitur: l. un. §. 11. C. de caduc. tollend. Hottom. in epit. tit. de V. usufr. accresc. n. 8. Quia non tam disponens, quàm concursus partes facit. Wesenb. in parat. de V. usufr. accr. in f. Aliud inter verbis tantum conjunctos, Aliud inter mixtim conjunctos occurrere dicitur. l. Re conjunct. 89. de Legat. 3. Denique si objectivam causam sive objectum consideres: Aliud jus accrescendi in proprietate sive in usufructu occurrit. l. 1. §. 3. & tit. de V. usufr. accresc. Aliud est in re universali: Aliud in particulari s. certa. Denique à forma jus Accrescendi aliqui distinguunt in Directum & obli-

Obliquum. Bald. in l. un. n. 13. C. Quando non petentium partes petentibus accrescant. 6. 10.

IV. *Causam efficientem Remotam* nonnulli imputant Legi 12. tabb. Gl. in l. 29. §. fin. de Legat. 2. Micha-
 el. Grassus de jure accrescendi quæst. 1. ubi omnes ita indifferen-
 ter sentire scribit. (Quam opinionem etiam refert Diss. Riemer
 de jure accrescendi. cap. 2. pag. 9.) In argumentum adferen-
 tes quod per Legem & jus antiquum, quò deficientem
 partem alteri acquiri dicitur in l. 5. de Vulg. & pup. subst. l.
 29. §. fin. de leg. 2. l. un. pr. C. de Cad. toll. Lex. 12. Tabb. in iis
 in locis, intelligatur; pro illa sententia facere quoque vi-
 detur quòd Lege 12, Tabb. latissima cuilibet de re sua te-
 standi concessa fuerit potestas, prout ex verbis ejus ge-
 neraliter conceptis apparet quæ in pr. I. ad L. Falcid. ita
 referuntur. Uti quisque legasset suæ rei ita jus esto jung.
 l. 120. de V. S. Nov. 22. c. 2. pr. Ulpian. in fragm. tit. 11. Alii
 ex Lege Papia hoc jus deducunt. Duar. lib. 1. de I. A. c. 1.
 Verùm patebit ex iis, quæ mox subjicientur, Legem Papi-
 am in quibusdam casibus jus accrescendi submovisse:
 Alii hoc jus adscribunt Jurisprudentiæ Mediæ lar-
 gam illam testandi facultatem Lege 12. Tabb. cuilibet
 competentem, interpretatione vel legum vel autoritate
 jura constituentium, restringenti vid. l. 120. de V. S. & pr. I.
 de Leg. Falcid. Alii denique discernunt utrum hereditas
 deferatur ex testamento, an verò ab intestato. Ut hoc
 casu legi causa imputetur soli d. l. si ex pluribus. 9. De suis &
 legit. hered. quæ nõ permittit quem ex parte hæredem esse,
 sed agnato proximo totam familiam adjudicat. l. 9. §. 2. de
 lib. & posth. l. pronuntiatio. 105. §. 1. de V. S. Jacob. Gothof. in fon-
 tibus Juris Civilis lib. 3. probat. ad tab. 5. p. 80. & seq. Priori
 verò

verò simul etiam Testatoris heredes aut legatarios conjungentis voluntati, legum authoritate subnixæ.

V. Hoc tantum obiter adnotabo. Bellis civilibus inter Pompejum & Cæsarem, nec non inter Pompejum Lepidum & Brutos exortis, cum ærarium valde exhaustum esset, ejus augendi gratiâ Legem Papiâ, [quæ variis nominibus postea indigitari cœpit, nempe Lex Julia, Papia; Julia Papia, it. Papia Poppæa &c.] Augustô jam sene per Senatum promulgatam fuisse, Anno Christi 9. *Q. Sulpit. Camerin. & C. Poppæo Sab. Ordin. Consul. quibus. M. Papius Mutilus & Q. Poppæus secundus*; [à quibus etiam nomen accepit,] *suffecti erant. vid. Tac. 3. Annal. N. 4. in fin. Dion. lib. 56. Cujac. in par. Cod. de Cad. toll. Valent. Forster. 2. de success. c. 11. n. 15.*, Cujus legis ea fuit foecunditas, ut ad eam, sicuti ad Leg. 12. Tabb. Icti prolixè commentati sint. Sic enim ad eam Mauritianus, Marcellus, Cajus, Terent. Clemens, Vlpian. & Paulus novem & septuaginta libros scripserunt, è quibus propè ducentos locos in Pandectis esse descriptos notat Balduin: *de Leg. Pap.* Inter varia autem ejus Legis capita duo præcipua erant: *Primum*, de Ordinibus maritandis ad Remp. liberis legitimis replendâ, *de quo Oratio ad Patres elegans apud Dion. exstat lib. 56. pr.* *Secundum* ejus caput erat de Caducis: Vocabulo caducorum tam latè acceptô, ut & Quasi caduca sive quæ in Causâ caducorum olim erant, complecteretur: quoad Legem enim Papiam & vim caducorum hæc à se invicem non distinguebantur. *Caduca autem in specie & strictè ita dicta erant*, quæ post mortem testatoris deficiebant *l. un. §. & cum triplici C. de cad. coll.* Vel quæ jure relicta capaci, aliqua ex causa post mortem testatoris ab eo cadebant in Fiscum. *vid. Cujac. par. Cod. de Cad. toll.* puta si legatarius vel heres ex parte scri-

ptus

ptus ante apertas tabulas diem obiisset, vel amissâ Civitate Romanâ in peregrinitatem esset redactus, veluti in Insulam deportatus, quæ peregrinitas eo casu pro morte habebatur. *l. 1. §. filium. ff. de bon. possess. contra Tab. vid. Perez. in Prælect. Cod. ad Tit. de Cad. toll. n. 4.* Quæ Caducapotissimum à duobus capitibus Lege Papia introductis dependebant quòd i. hæres ex parte scriptus ante apertas tabulas non poterat hæreditatem adire; Uti quidem postea id illi permissum fuit. *l. un. §. 1. in fin. & §. 5. C. de cad. toll. & antea quoque hæredi ex asse scripto per l. 1. §. ult. de jur. & fact. ignor. licuit. 2. quòd dies legatorum demum ab apertis Tabulis, (non autem, perinde ut hodie, statim à morte testatoris) cedebat l. un. §. 1. & §. 5. C. de caduc. toll. Quasi Caduca vocabantur five in Causa caducorum erant, quæ post factum testamentum vivò testatore deficiebant, hærede videlicet vel legatario ante testatorem decedente, aut conditione, sub qua hæreditas vel legatum relictum erat, deficiente. Atque in hisce Caducis Lex Papia, nisi quod liberis & parentibus usque ad tertium gradum jus antiquum illibatum integrumque relinqueret. *l. un. pr. C. de Caduc. toll.* jus ad crescendi ad Fiscum quicquid ita deficeret devolvendo ærarii locupletandi gratia submovit.*

VI. Cùm verò Lex Papia substitutionibus, ut voluntati testatoris expressæ, cederet, Idcirco ad testamenta condenda olim frequenter in consilium adhibiti *l. 39. de vulg. & pup. substit. fac. l. pen. §. 17. de leg. 2.* testatoribus suafores erant, ut ad excludendam caduci causam substitutiones frequentarent *l. un. pr. C. de cad. toll.* præcipuè reciprocas. *vid. Gothofr. ad d. leg. confer. l. 75. §. fin. de leg. 2. l. 5. de vulg. & pup.*

pup. subst. l. un. C. de his qui ante apert. Tab. hereditat. transm. Pancrat. Cretschm. in tr. de jur. accr. th. 7.

VII. Imperator a. Iustinianus Legem Caducariam in constitutione sua in *l. un. C. de cad. toll. comprehensâ* (jus antiquū, in quibus casibus per Legem Papiā sublatumerat, reducendo) penitus abrogavit sequētibus tribus ex causis (1.) Quod æquum sit, ut quod belli calamitas introduxit hoc pacis lenitas sopiret (2.) quod in multis capitulis Lex Papiā ab anterioribus Principibus emendata erat & per desuetudinem abolita; Ita Constantinus Constantius & Constans pœnam cælibatus ea Lege introductam sustulerunt *vid. Gothfr. ad d. l. (3.)* quod jus Caducarium prudentissimis etiam viris displiceret. *v. l. un. pr. C. de ead. toll.* Concludo ergo l. A. originem ex L. 12. tabb. Informationem a. ex Med. Iurispr. accepisse.

*Caus. Eff-
fic. propin-
qua.*

Causa Efficiens Proxima est conjunctio (quæ quid & quotuplex sit infra in causâ formali commodius dicitur) quâ positâ jus accrescendi, uti effectus; unde & *ius conjunctionis in l. 16, quib. mod. ususfr. vel us. am. audit*, ponatur necesse est, & quâ cessante jus quoque accrescendi locum habere non potest, *l. 1. pr. §. pen. de ususfr. accr. l. 84. §. 12. de leg. 1.*

*Subje-
ctum.*

IX. *Subiectum Cui*, est omnis conjunctus, quem testator, vel lex, vel Prætor in rem eandem eodem successio- nis genere conjunctim vocavit *l. si sub conditione. 16. quib. mod. ususfr. vel us. am. §. 8. Inst. de Leg. l. 53. §. 1. de acq. her. l. 9. de suis & leg. her. l. un. §. 10. & 11. C. de cad. toll. l. 3. §. 9. & seqq. de bon. poss.* Item conjuncti, antequam portio alterius defice- ret, decedentis hæres *l. 9. de suis & legit. her. §. ult. I. ad Sc̄tum Orfic.* nam & is testatori hæres est *l. 194, de R. I. l. 56. & 70. de V. S. l. 14. C. de her. instit.*

X: *Objectum* hujus juris in genere est successio in specie

Specie ita dicta, quâ defuncto succeditur, *tam universalis* Objectū.
 quâ succedenti acquiruntur res universæ, hoc est totum a-
 liquod collectivum non tantum commoda sed & onera,
 sive incommoda complectens. *Vid. Magnific. Dn. Cancell.*
Tabor inter ICtos hujus ætatis facile principatum tenens. Præ-
ceptor ac Patronus æternum suspiciendus in partit. Elem. p. 2.
æd. æ. th. 17. pag. 49. Quam Singularis, quâ quis mortuo re-
 gulariter in res singulas succedit.

XI. In Specie locum habet in *hereditatibus* tam le-
 gitimis per *l. 9. de suis & legit. hered. §. ult. I. ad Sctum Orfic.*
l. 1. §. si nemo ad Sctum Tertyll. quàm testamentariis nullo
 habito discrimine, sive deferantur ex institutione prima,
 sive secunda *l. un. §. his ita. ibi. in his itaque C. de cad. toll. l. 20.*
C. de jur. delib. sive Directò *l. 17. §. I. de hered. instit. l. 63. eod.*
 sive Obliquè per *l. 114. §. II. de leg. I. l. 77. §. 4. ad Sctum Tre-*
bell. l. 34. & 79. eod. l. un. §. 14. C. de cad. toll. Nam & fidei-
 commissarius universalis hæredis loco habetur *l. 44. §. fin.*
ad Sctum Trebell. Et quia conjunctus, gravatò potior est.
Dissentit Vasquez. de success. tom. 2. libr. 3. §. 23. N. 130. & alii
apud Cretschm. th. 52. citati.

XII. In *bonorum possessionibus* itidem juri locus
 est, per *l. 3. §. ult. l. 4. & 5. de bon. possess. l. æquissimum 2. §. 8. de*
bon. poss. secundum Tab. l. 12. de bon. poss. contra Tab. l. un. C.
quando non petent. part. pet. accr. Quia valdè similes sunt
 hæreditatibus bonorum possessiones: Prætor enim quam-
 vis ipso jure hæredem non faciat; Quibus bonorum ta-
 men possessionem defert, Hi loco hæredum constitu-
 untur *pr. I. de bon. poss. & vice hæredum habentur, l. 2. de*
bon. poss. imò aliquando appellatione hæredum conti-
 nentur *l. in conditionibus 19. §. si Patronus de condit. & de-*
 monstr.

monstr. nam revera & effectu hæreditatem habent, quia e molumentum successionis Prætorio jure eis quæsitum esse videtur. *l. bonorum 7. in fin. C. qui admitt. ad bon. poss.*

XIII. Idem similiter in *querela inofficiosi* obtinet; Si fortè unus ex iis; quibus querela inofficiosi competit, eam instituere nolit; vel, quòd tempore exclusus sit, eam amittat. *l. si ponas. 23. §. 2. de inofficios. test. vid. Dn. Struv. Exc. 10. th. 26.*

XIV. Locum sibi quoque vindicat in *unione* sive *Pariatione prolium* German. *Ein Kindschafft* Non vi conventionis & pacti, quod parentes de successioneliberorum diversi matrimonii in hæreditate vel parte aliqua bonorum inter se inierunt; sed vi successionis h. e. liberi uniti non succedunt quatenus parentes ita pacti sunt; Sed quatenus sunt hæredes similiter uti in adoptione, cui quàm similima unio prolium putatur. *Gail. 2. observ. 125. in qua liberi adoptivi parentibus adoptivis ut liberi adoptivi, non verò quatenus pacti sunt, succedunt vid. Sæv. libr. 2. de I. A. c. 2.*

XV. In assignatione liberti duobus facta hoc jus etiam versatur, si videlicet alter sine liberis in civitate esse desierit; alter non: vel si alter vivus noluerit ad se hæreditatem liberti pertinere. Item si alter relictis liberis decesserit. *l. 3. §. 1. l. 4. & 5. pr. & §. 1. de assign. libert.*

XVI. Denique in *Legatis* etiam hoc jus valet, *§. si eadem. 8. I. de leg. & tot. tit. ff. de usufr. accr. differentia, quæ inter legatum vindicationis & damnationis olim intercedebat, hodie sublatâ §. sed olim I. de leg. l. 1. C. com. de leg. l. un. §. ubi autem. versic. nos autem C. de cad. vid. Cretsch. thes. 53. Competit etiam Fideicommissis singularibus*

ribus per l un: §. II. & 14. C. de cad: toll: Quin & Mortis causa donatio jus accrescendi recipit, cum inter ultimas voluntates referatur. l un: §. 7. C. de Caduc toll. & per omnia ferè legatis comparetur: imò æquales cum iis effectus fortitur l. 2. C. de donat: causa mort: l ult. eod: Tùm quod ejus Iustinianus expressè mentionem faciat. in l un: §. 14. C. de cad: toll: ea omnia, quæ in illa lege noviter de jure accrescendi constituerat, & in mortis causa donatione locum habere debere definiens.

XVII. Idem & in Mortis causa capione asserendum est, quoniam & hæc ultimis voluntatibus accensetur, in quibus Iustinianus hoc jus obtinere generaliter definit. in d, l un: §. 14 C. de cad. toll:

XVIII. Caterum, non recipiunt, hoc jus (1.) *Contractus*; variis ex rationibus (1.) quia leges de jure accrescendi agentes de ultimis voluntatibus v. g. hereditatibus & legatis tantum loquuntur, non de contractibus: (2) quia ratio hoc jus introducens itidem non in contractibus, (in quibus sc. individua testatoris voluntas & repræsentatio cessat,) sed in ultimis voluntatibus tantum militat (3) quia, uti benè observat Cujac: ad l 64. de contr: empt: id tantum accrescit, quod repudiatum est, vel quod morte hæredis interveniente aut ex aliâ justa ratione deficit, in contractibus autem ex nulla earum causarum quid deficit; sed ex alia, hac sc: quòd persona supervacaneè adjecta sit v. l. 64. de contr: empt: (4.) Hanc sententiam firmat l. 110. de V: O. ostendens id quod in contractibus deficit alteri non acquiri. Casus est hic: Si mihi & Titio; cujus potestati non sum subjectus, decem stipuler: non decem; sed tantum quinque mihi debentur, pars enim aliena deducitur

citur, [nempe id quod inutiliter stipulatus sum,] cum per liberam personam nemini obligatio acquiratur; Non ergo augeat meam partem:

XIX, Non adversatur huic negativæ sententiæ [1,] quòd etiam in contractibus ejusdem rei partem probare, partem verò improbare vix liceat; quâ ratione tamen jus accrescendi potissimum niti videtur. *l. m. §. 10. C. de cad. toll.* Id enim de contractu perfecto dicitur quòd tum uni contrahentium alterò invito à contractu resilire non amplius integrum sit. Quamvis enim contractus ab initio sint volùtatis, ex post facto tamen fiunt necessitatis *l. 5. C. d. oblig. & act.* Nec obstat [2,] quòd venditor in emptorem omne suum jus transferat *per §. 3. l. de empt.* inde enim non sequitur: venditâ hæreditatis parte in emptorem jus accrescendi transire: *quemadmodum apud Swanb. c. 8 de 1. A. allegati existimant:* Axioma enim illud verum tantum est de eo jure, quò quis se privare potest, quale non est jus hæredis, quò defunctus repræsentatur; qui enim semel hæres factus est desinere hæres esse non potest. *l. 48. de har. inst. l. 43. de Vulg. & pup. subst. l. 7. §. 10. de minor. §. 3. l. de fideicom. hered.* Ejusmodi itaque venditor res hæreditarias emptori quidem vendit, jus autem hæredis *hæreditas, quæ hoc casu sine ullo corpore juris intellectum habet, l. hæreditas 50 de petit. hered.* apud Venditorem nihilominus remanet, qui in præjudicium legis hoc mutare nequit. *per l. jus publ. 38 de pact.* Atq; inde est, quòd vënditor hæreditatis post venditâ hæreditatis partē actionibus directis debitores hæreditarios cõvenire potest, & ipse vicissim creditorũ hæreditariorũ actiones directas invitus vicissim

exciperetenetur l 2. C. de hered: vel act: vend: VVesenb: in
 Parat: ibid. n. 4. Breviter quoque ex Fachin: s. Con-
 trovers. 101. jus accrescendi in emptorem hæreditatis non
 transire ita probatur: quia ex nulla earum causa, ex qui-
 bus, si in eum transfiret, debebat, portio deficiens ei accre-
 scit; nec enim 1. ex lege cum de eo nulla exstet, nec 2. ex vo-
 luntate defuncti testatoris, hic enim emptorem fortè non
 novit & huic magis, quàm suis hæredibus; prospicere volu-
 isse non præsumitur. Cui autem testator nihil dedit, aut
 dari voluit, ei nihil dandum est, ne liberaliores ipsò testa-
 tore simus. l. debitor 59 in fin: pr: nec 3. ex voluntate contra-
 hentium, venditor enim suam hæreditatis portionem, non
 verò eam, quæ nondum deficiebat, & de qua, an sit defectu-
 ra, incertum tum remporis erat, emptori vendidit; imò
 nec potuit vendere, cum pretium rei venditæ proportio-
 natum esse non intelligatur, nisi actu quæsita sit ut pro
 vendita haberi possit. vid. Dn: Hahn: in Observ: ad VVesenb:
 tit: de hered: vend: n. 4, Hinc in l. 1. §. 2 eod. tit.: tan-
 tum quæritur, si hæreditas vendita sit, an spectetur quan-
 titas, quæ fuit tempore mortis; an ea quæ fuit cum adire-
 tur hæreditas, an verò, quæ fuit tempore venditionis.

XX. Cessat hoc jus 2. In testamento militis. Hic e-
 nim pro parte testatus pro parte intestatus decedere po-
 test. v l 2. C. de test: mil: l. 37. ff: eod: Ratio rationis est quòd
 propter simplicitatē militarem quomodo velint & quo-
 modo possint militibus testari liceat, ut voluntas eorum
 in testando tantum spectetur. per l. 3. C. de testam: mil: pr:
 l. eod: § 5. I. de inst: her. Instit.

(2) Testa-
 mentum
 militis,

XXI. 3. Hoc jus non invenit locum in Feudo tam (3) Feudis

B 3

Veteri

Veteri quàm Novo. De hoc nullum est dubium *propter text. 2. feud. 12. Item q. 1. feud. 5. it. 14. §. fin.* De illo etiam probatur: quia omne feudum non ultimis voluntatibus; sed pactis & stipulationibus constitui solet. *per text. 1. feud. 8.* in quibus hoc jus excludi jam probatum dedi. Hinc Regula generalis est, quod ex pacto primi acquirentis in feudo succedatur. *vid. Suv. lib. 2. de 1. A. c. 2. Cretsch. d. 1. A. th. 68.* Dissentit Schraderus *7. disp. feud. 1.* & cū eo alii: per hanc potissimum rationem, quòd feudum sit ususfructus, in quo jus accrescendi obtinet: Verùm sciendum: non in omni ususfructu, sed tantum in ususfructu legato jus hoc accrescendi versari & obtinere. Excipit tamen Suv. d. 1. hunc casum, si senior in re sua allodiali conjunctim jus fundi leget, unus autē suam portionē omittat, in quo juri accrescendi locum esse affirmare per hanc rationem non dubitat, quòd casu jure feudali non decisō obveniente semper ad jus commune sit recurrendum. *vid. text. 2. feud. 1.*

4. donatio
à Principe
facta.

XXII. Adeò autem non obtinet Ius accrescendi in contractibus & actibus inter vivos, ut ne quidem in donatione à liberalitate Imperatoria procedente locum inveniat: Licet id Nonnulli adstruere ausi sint. ut *Duar. lib. 1. c. 16. de 1. A. & alii quos apud Cretschm. Disp. de 1. A. th. 66. videre licet*, Nec movet, quā Excipientes nituntur. *l. un. C. si liberal. Imper. socius sine hærede decesserit. Vbi dicitur quòd si quis ex iis, quibus Imperator aliquid simul donavit, sine hærede decedat, ad superstitem socium solatium pervenire*, Ex eo enim non statim rectè infertur socium socio jure accrescendi in parte succedere: Neque enim hoc dicitur *expresse*, cū modus ad partem deficientis perveniendi

endi ab Imperatore Constantino non sit expressus, nec per consequentiam necessariam colligi aut deduci potest: cum ibi pars jam fuerit acquisita, & lex illa in genere; non in specie de usufructu loquatur. Dicendum autem est socium alterius partem hoc casu ex largissima Imperatoris interpretatione excluso Fiscò occupare vid. Suet. lib. 2. c. 2. C. 1. A. ad tit. de legat. §. 38.

XXIII. Non versatur §. In Legato quantitatis vo-^{5. Legatū} cab. quantitatis ita accepto, ut non corporis vice fungatur, tum enim conjunctio intervenit l. plane 34 §. 4 l. si de^{Quantitatis.} leg. 1. Sed si naturam suam retineat nihil interest si eadem quantitas legata sit disjunctim, v. g. Primo, decem, do lego. Secundo, decem, do lego siue conjunctim e. g. Primo & Secundo decem do lego: Priori enim modo si eadem quantitas duobus legetur, singulis eadem quantitas, quæ bis expressa est, legata esse videtur, ut quilibet solidum, non partes, accipiat, eadem enim quantitas sæpius, quàm semel, aliter ac res vel species, volente testatore præstari potest l. 34 §. 3. de leg. 1. Vni etiã, cui testator semel in testamento & semel in Codicillis post testamentum factis eandem reliquit summam per l. 12. de probat. Quod si v. eadem quantitas v. g. decem duobus conjunctim legetur; ideò hoc jus cessat quia enumeratione personarum ea quantitas statim divisa censetur arg. l. 56 de cond. & dem. Etenim ut quantitas ipsa numero constat ac dividitur: Ita etiam inter personas dispensatur: l. Cum Stichus. 29. De solut. perinde ac si ipse testator singulis quinque legasset. Vid. Schvvanenburch de l. A c. 8 p. 114 ubi excipit Speciem. l. Qui quartam. 15. §. ult. De legat. 1.

XXIV. Excluditur 6, in legato alimentorum. Hæc Alimen-^{6. Legatū} enim^{Alimen-} torum.

enim nec augeri, iterari aut multiplicari possunt l. 16 §. *Basilia*. 2 ff. de alim. vel cibariis leg. Hinc quoque testator in alimenta legans voluisse videtur ut legatarii non ultra modum quicquam habeant, v. *Duar*. lib. 2 de I. A c 14. Ita quoque non admittitur jus accrescendi in usufructu ad finem alimentorum limitato s. in alimenta relicto l. 57. §. 1. de usufr. Idem in tacito alimentorum legato obtinet veluti si annuum legatum duobus relicti sit, cum praesumatur pro alimentis esse relictum, vid. *Mantic*. lib. 10. de conject. ult. vol. tit. 3. N 27. Hoc quoque in servitute usus duobus legata servandum censet Perez. in pral. cod. ad l. un. C. de Caduc. tollend. n 23. vers. Quia ratione creditum obrationem hanc, quia usus non ad compendium; sed ad necessitatem personae refertur.

Forma.

XXV. Et haec quidem haecenus de objecto, tum per positionem, tum per remotionem dicta sufficiant, Porro causa formalis, huius juris accrescendi (quae praecedentem causam justo excipit ordine,) considerari potest cum in requisitis, tum in modo, quo portio deficiens alteri accrescat. Inter Requisite formalia primum est, *Conjunctio*, hac enim posita jus accrescendi necessario infertur. Ea autem cessante; Ius illud deficit. In *Conjunctionis* ergo naturam penitus inquirere oportet, quod ea cognita, quando juri accrescendi locus sit vel non sit, iudicium ferre facilius liceat.

De primo
requisito
formali
juris ac-
crescendi
nempe
conjuncti-
one.

XXVI. Est vero *Conjunctio in genere*; quando duo vel plures eodem successionis genere a testatore, vel lege in eandem rem vocantur; Ex qua generali conjunctionis descriptione cernere est, (1.) *Respectu personarum* nullam esse conjunctionem si testator unum heredem institu-

instituat vel rem uni leget, duas enim ad minimum ad eam requiri personas vox *conjunctionis* primo statim aspectu innuere videtur: (2.) *resp. rerum* nullam induci conjunctionem si res diversæ relinquuntur. *l. 84. §. pen. de leg. 1.* (3.) *Ratione formæ & modi conjunctionis s. conjungendi*, nullam intercedere conjunctionem inter eos qui *diversimodè succedunt* v. g. si unus ex testamento, alter ab intestato, vel alter ex titulo universalis; alter ex titulo singulari succedat. Item si uni bonorum possessio secundum tabb: alteri contra tabb: deferatur. *v. l. 6. de bon poss.*

XXVII. Dividitur conjunctio ista & ut sic dicam *copulatio seu copulatio* à nonnullis, à causa efficiente, in conjunctionem hominis & in conjunctionem Legis s. Legalem, *vid: Excell. Dn: Hahn: in Observ: ad VVes: tit. de usufr: accr: N. 3.* Illa est quando testator plures sibi hæredes scribit, vel pluribus rem eandem legat. *Conjunctio Legis* dicitur, quando Lex plures ad eandem hæreditatem vocat; vel quâdo jure Prætorio sive ex Ed. Prætoris *qui viva vox est juris civilis, l. 8. de 1. & l. 2. §. 13. de O. I.* pluribus una bonorum possessio simul defertur.

XXVIII. Conjunctio hominis non est uniusmodi; fit enim vel simpliciter, putà Re tantum, aut Verbis tantum, vel mixtim: Re sc: & Verbis simul *v. l. Triplici 142. de V. S. l. 89. de leg. 3.*

XXIX. *Conjunctio Realis* est, quando eadem res separatim s. disjunctim h. e. distinctis & diversis orationibus relinquuntur. v. g. si testator dicat, *Primus hæres esto. Secundus hæres esto.* Vel ita: *Primo hominem Stichum do lego: Secundo hominem Stichum do lego v. l. 89. de leg. 3. §. 8. I. de leg: l. 1. §. 3. de usufr. accr.* & qui ita conjuncti sunt separati

C

& dif-

& disjuncti aliquando vocantur. *l. 3 4. pr. de leg. 1. l. 63. de ha-
red. inst. l. un. §. 10. C. de Cad. toll. l. 1. §. 3. de usufr. accr. habita sc.
verborum ratione, quia verbis disjuncti sunt. vid. Pac. in
Dig. ad tit. de usufr. accr. n. 4.*

XXX. *Conjunctio Verbalis* est, quando eadem res una ratione ex æquis partibus, indivisis tamen, relinquitur. v.g. *Primus & Secundus æquis ex partibus heredes sunt.* Item: *Primo & Secundo fundum Tusculanum ex æquis partibus, do lego v. l. 89. de leg. 3. l. 142. de V. S.* Et hæc à Reali in eo differt: quòd Verbalis unâ oratione & partibus expressis: Realis verò distinctis fiat orationibus, & partibus non expressis:

XXXI. *Conjunctio Mixta* est, quæ duos vel plures & rei & nominis complexu jungit, v.g. *Titius & Mævius heredes sunt.* Item: *Primo & Secundo hominem Stichum do lego. v. l. 142. de V. S. §. 8. I. de leg.* Hujus autem conjunctionis differentia à Verbali in eo apparet, quòd in mixta nullæ partes exprimantur, perinde ut in Verbali solet fieri; à Reali autem in eo discrepat, quòd hæc ipsa (Realis) verborum copulâ destituitur.

XXXII. Traditâ hæctenus in specie cujuslibet conjunctionis descriptione; dispiciendum nunc est, an in omni illa conjunctione jus accrescendi valeat? Et Reali tantum quin adscribi debeat, nullum admittit dubium per *l. 1. §. 3. de usufr. accr. l. 30. de cond. & dem. l. 63. de hæc. instit. l. 41. pr. de leg. 2. §. 8. 1. de leg. l. un. §. 11. C. de cad. toll.* Similiter nec in Mixta, de eo, quin ita conjuncti jure accrescendi gaudeant, dubitandum est, per *§. 8. 1. de leg. & text. alios.* In conjunctione autem Verbali tantum, res non caret difficultatibus, ob quas nonnulli negativam
senten-

sententiam simpliciter amplectuntur *uti faciunt Anthon. Faber. Cretschm. d. l. A. th. 41. Suvvanb. c. 7. & alii.* Quidam verò inter proprietatem & usumfructum distinguendo: in illa; non verò in hoc *ob l. I. in pr. l. 4. & maxime l. pen. de usufr. accr.* jus accrescendi admittunt, & hanc sententiam fovet *Duar. lib. 1. c. 10. in fin. Pac, in Isagog. in Dig. ad tit. de usufr. accr. N. 3, Aliique quos videre licet apud Riem. de de l. A. p. 1. c. 13.*

XXXIII, Verùm in conjunctione quoque verbali, *pro Affir-* indistinctè juri accrescendi locum esse, *mativa,* communius placuit; & praxis quoq; recepit. *quod sc.* *Dn. Hahn. in obs. ad Wes. Tit. de usufr. accr. N. 4.* Cui propter rationes sequentes subscribendū duco *etiam in* quia Regula Celsi *sola ver-* ab *Ulpian. in l. 3. pr. de usufr. bali con-* *relata, quæ hæc est: Toties locum esse juri accrescendi quoti- junctio-* *es in duobus, qui in solidum habuerunt, concursu divisus est jus accre-* *us usufructus sc. vel res alia. & conjunctis verbis tantum, ac-* *scendi lo-* commodari potest. Nam (i.) & ipsi verbis conjuncti *cum inven-* solidum habent, dum illis testator partes non reales & corpore divisas; sed intellectuales expressit, unde & conjunctorum nomine hi quoque veniunt *l. 142. de V. S. l. 89. de Legat. III.* Partium autem intellectualium hæc est *Afferun-* natura, ut cum solido stare possint. *Frantz. k. exc. 7. N. 8. tur & ra-* si enim corpus vel res in ejusmodi partes divisa est, eam *tiones.* quis cum altero, donec vel in discretas partes dividatur, vel alter sibi eam totam acquirat, pro indiviso tenet & per consequens solidum, hoc enim non tantum est integrum aliquod, & ne quidem intellectu divisum, sed etiam quod in partes intellectuales, non reales, divisum est, quæ posterior significatio hujus loci est, *l. 1. de usufr. accr. l. 34. §. 9. de leg. 1. l. 80. de leg. 3. §. 8. 1. de leg. Vid. D Struv. Exc. 12.*



th. 27: (2,) Altera quoque dictæ regulæ Celsi, nota juris ad crescendi characteristica verbis conjunctis convenit; Siquidem & hi, sicuti cæteri conjuncti, concursu partes faciunt: Duplicem enim & hîc quemadmodum in cæteris, respexisse casum testator censendus est; nempe & eum quò omnes concurrunt & illum, quò quidam deficient, priori casu ad singulos partes; posteriori verò ad alterum solidum pervenire voluit. Affirmativæ sententiæ assensus præbendus erit etiam [3.] idè quòd conjunctionis effectus hic est, nempe ut portio defecta ei, qui partem rei alteram sibi quæsivit, accrescat; qua de causa jus accrescendi, ut conjunctionis perpetuus & necessarius effectus, jus conjunctionis appellatur in l. 16. quib. mod. ususfr. am. (4.) Affirmantium sententiæ etiam eam ob causam accedendum esse videtur, quia Verbis conjuncti, æquè ac Mixti prædisjunctis prælationis jure, de quo infr. dicitur, gaudent per l. 89. de leg. 3. quæ prælatio simpliciter & necessario jus accrescendi infert & importat, non verò κατὰ τὴν tantum, quæ cum aliis Re tantum vel Re & verbis conjunctis concurrunt, uti *Anthoñius Faber Decade. 40. error. 8. 9. autumat dicens verbis conjunctos, licet per se re disjuncti sint, ex accidenti & postfacto tamen etiam re conjunctos fieri concurrente tertio aliquo, qui illis re jungatur.* Etenim non tam concursus conjunctionem efficit; quàm dispositio & voluntas testatoris, ad eandem rem plures vocantis, ut necesse sit, eos quos in parte deficientis cõcurrere aut præferri volumus, considerari ut ab initio sententiæ testatoris conjunctos. *Vinn. ad com. ad §. 8. 1. de leg. n. 18.*

Et textus

XXXIV. Potest ea sententiæ etiam (5.) probari legum

gum textibus ut puta *primò leg. 16. §. 2. de leg. 1.* ubi dicitur, quòd tam ille, cui cum posthumo viriles partes testator dederat [verbis còjunctus,] quàm qui re à testatore cū posthumo conjunctus erat, non nato posthumò, totum vindicare possit, quod ipsi non concederetur, (sed parte is còtentus esse deberet) si jus accrescendi ipsi non còpeteret. *Secundo ex l. un. §. 10. 11. & 12. C. de cad. toll.* in qua disponitur, quoquo modo deficientem partem conjuncto accrescere eo casu tantum exceptò, si quid ob indignitatem alterius deficiat; Id enim non conjuncto sed **Fisco**, cedit. Tertiò confirmat quoque hanc sententiam. *l. 3. §. 1. Quib. mod. usufruct. am.* ubi rationem Papinianus hanc reddit, quare inter usufructuarios quorum unus capite minutus amissum usumfructum ex relegatione receperat, perinde ac si uni usufructuario quis substitutus esset, jus ad crescendi salvum esset? Nimirum quod, quamvis non verbis, re tamen conjuncti sint; Ex qua ratione colligitur, Papinianum jus accrescendi in conjunctione verbali locum habere, tanquam certum supposuisse; Innuit enim quòd propterea an Re conjuncti hoc jus admittant, quis dubitare possit, quòd illi non verbis conjuncti sint: quod dubium postea removet, etiam in re tantum conjunctis non minus quàm in conjunctis verbis, locum juri accrescendi esse definiens.

XXXV. Secundum hujus juris formale requisitum in eo collocatur ut, cui aliquid accrescere debet, *partem sibi jam acquisiverit*: In hæreditate, puta si quis pro diversa qualitate & conditione hæredis, se parti hæreditatis vel immiscuerit, vel eã adierit, tam variè enim, quem

*De secundo
requisito
formali
juris ac-
crescendi,*



quemadmodum integra hæreditas, ita & ejus pars acquiritur, quod juris enim in toto est idem & in parte valet. *l. 76. de R.V. §. 8. Inst. de fideicom. her.* In Legatis, si quis partem rei legatae ad se pertinere velit. *l. 44. §. 1. de leg. 1. l. 59. de leg. 2. l. 31. de bon. libert. l. 64. de furt.* vel eam non repudiaverit. *d. l. 44. §. 1. de leg. 1. l. 86. §. 2. eod. l. 80. de leg. 2.* In bonorum possessione illi pars vacans jure accrescendi acquiritur qui bonorum possessionem admisit. *l. 3. §. 9. l. 5. de bon. poss.*

*De tertio
requisito:*

XXXVI. Tertium requisitum Formale in eo constituitur, ut pars vacans sit, quæ alteri accrescat. Pars a. tam in hæreditate quam in Legatis tripliciter potest deficere. (1) tempore testamenti conditi, v.g. si illi quid relictum sit qui tempore testamenti non fuit amplius in rerum natura, quod testator fortè ignorabat *v. l. un. §. 2. C. de cad. toll. l. 16. §. 1. de leg. 1. plura exempla v. ap. Peretz. ad d. tit. Cad. N. 2. Pac. in Analys. Cod. eod. N. 8.* & quod ita deficiebat olim pro non scripto habebatur. *d. l. un. §. 2. C. de caduc. toll.* (2) post factum testamentum & quidem vivò testatore si hæres videlicet vel legatarius ante testatorem vita defungatur, vel conditio, sub qua quis hæres institutus erat, aut sub qua res alicui erat legata, vivò testatore deficiat *d. l. un. §. 2. C. de cad.* & hæc olim in causa caducorum esse dicebantur *l. un. §. 4. eod.* (3.) post factum testamentum & quidem post mortem testatoris, vel conditione deficiente vel repudiatione; Ex Legatariis autem is repudiare dicitur qui partem legati ad se non vult pertinere. Ex hæredibus a. is partem hæreditatis repudiat qui se ea vel abstinet, quod beneficium à Prætoribus hæredibus suis, (olim enim hæres nec cessarius erat,) concessum est. *§. 2. circa fin. I. de her. qual. & differ. l. 20. §. 4. ibi: nam cum filius abstinet de a. v. o. h.*

Unde

Unde hæres suus, cum repudiat, abstinere dicitur *l. 8. de jur. deliberandi. vid. Vvesenb. in Paratit. de acquir. vel o. h. N. 2.* & si pars hæreditatis hoc modo deficiat abstentione sc. illa alteri accrescit: nisi vel 1. antequam hæres sequens bona vendiderit, hæreditatem repetat *l. 8. de jure delib. l. ult. vers. hoc corrigentes C. de rep. vel abst. har.* vel 2. bona per restitutionem in integrum recuperet. *d. l. ult. in fin. Vid. Cretsch. de jur. accr. th. 74.* Deficit itidem hæreditatis pars si ea ab extraneo repudiata sit: ut puta si se hæredem esse nolle vel verbis, vel scripto, vel facto, unde ea voluntas colligatur, declaret *v. § ult. ibi sicut autem l. de har. qual. & differ. l. 95. de acquir. vel om. har. l. 17. §. 1. eod.* In bonorum possessione a. pars tum deficere dicitur quando unus ex iis, quibus bonorum possessio simul competit, jus suum vel spernit, vel tempore bonorum possessionis petendæ finitò, exclusus est, vel diem, antequam bonorum possessionem petierit, obiit *l. 3. §. 9. l. 4. de bon. poss. l. 1. §. unus enim. de success. Edict. §. cum igitur s. l. de bon. poss.* Nihil autem refert, utrum portio ipso jure, an ope exceptionis deficiat, cum perinde sit, quoad hanc causam, an ipso jure quis actionem non habeat, an ea per exceptionem infirmetur *l. 112. de R. I. v. Duar. lib. 1. d. I. A. c. 19. Cretschm. th. 77.*

XXXVII. Ad Formam, uti antea dixi, Modi quoque referendi sunt, quibus portio defecta accrescit, inter eos autem primus est, ut pars vacans in hæreditatibus etiã invitis. *l. 53. §. 1. l. 35. pr. l. 38. l. 55. da acq. vel om. har.* & proinde ignorantibus quoq; obveniat; *l. 31. eod.* paucis tantum casibus exceptis, quibus non nisi volens cohæredis portionem quis suscipit, è quibus unus in *l. cum hæreditate ss. eod.*

Demodis, quibus portio defecta accrescat.

cod. exstat, ubi hæredi suo qui pro parte hæreditati se immiscuerat, vel etiam hæredi extraneo, qui pro parte hæreditatem adierat, antequàm cohæres necessarius se hæreditate abstineat, conditio defertur, postquam hæres suus se abstinet (dummodo creditores se non offerant se contentos esse dicendo, se eû pro sua tantum parte non verò in solidum convenire) aut totam hæreditatem admittere atque ita quoque portionem deficientem, aut à tota recedere: *Reliquos vid. in C. l. A. ad tit. de acq. vel om. hæ. th. 26. & Cretschm d. tr. th. 79.*

XXXVIII. In Legatis verò adhibenda est distinctio Imperatoris, quâ utitur *in l. un. §. II. C. de cad. toll. inter Legatarios conjunctos & disjunctos*; his invitis portio, quæ deficit, accedit, *illis verò non nisi volentibus*; Ratio diversitatis in his est, quòd portio deficiens hîc, *ut mox pluribus dicitur*, cum onere transeat, testator autem legatarios (invitos) non onerare sed honorare voluerit, cujus voluntatem Legislator ita diversimodè constituendo procul dubio respexerit.

XXXIX. *Secundus* modus est, ut in hæreditate post Rescriptum Severi, cujus mentio fit *in l. si Titio 61. de leg. 2. & l. 74. de leg. 1.* portio vacans cum onere æris videlicet alieni & legatorum ac fideicomissorum à defuncto relictorum obveniat. *l. un. §. 10. C. de Cad. toll. l. 61 de leg. 2.* cum olim ante Rescriptum illud portionem sine onere in hæreditate accrevisse, vestigia juris antiqui ostendant; *in l. 29. de leg. 2. maximè in d. l. si Titio 61 de leg. 2. vid. Cretschm. th. 81.* In Legatis autem Imperator *in d. l. un. §. II. Cod. de cad. tollend.* iterùm distinguit inrer legatarios Conjunctos & Disjunctos; Illis cum onere, his vero sine onere

nere portio deficiens accrescit, Ratio diversitatis hæc est, quòd legatariis conjunctis ab initio testator partes assignaverit, ut proinde non tam ex sua quam ex deficientis socii persona partem vacantem accipiant, cujus jure hos uti & omne commodum & incommodum deficientis percipere & subire æquum est, *per l. qui in jus. 177. de R. l. l. secundum naturã 10. eod.* Ad Disjunctos a. sine onere illa portio pervenit ideò, quòd, cum testator singulis solidum ab initio tribuerit, magis ex sua & propria, quàm ex aliena persona partem defectam occupent *vid. l. un. §. II. circa fin. vers. sin. autem C. de cad. toll.* ut meritò illis onus alienum imponi non debeat. *confer Franzk. Exc. 7.*

XL. Hæc autem quæ hæcenus de portione cum onere obveniente tam in hæreditatibus quàm in legatis dicta sunt; intelligi debent (1.) de oneribus; quæ per alium expediri possunt, qualia sunt quæ in dando cõsistunt; quædam etiam quæ in faciendo. v. g. si honorata persona jubeatur insulam vel monumentum vel aliud tale suis sumptibus facere, vel rem ab hærede testatoris emere, vel locationem vel fidejussionem subire. *vid. l. un. §. 9. C. de cad. toll.* Nam si hæres vel legatarius id facere jussus sit, quod per alium impleri non possit v. g. domum suis manibus exstruere, liberalibus studiis imbui, in certum locũ abire, pingere, vel uxorem ducere, illa omnia testatoris voluntas in ipsius solius persona intelligitur conclusisse, cui & suam munificentiam relinquebat. *v. d. §. 9. (2.)* de portione post testamentũ vacante, dicta intelligenda sunt: quæ enim ab initio statim tempore testamenti facti deficient & pro nō scriptis olim habebantur, tam in hæreditatibus quàm in legatis, quemadmodum olim, ita & hodie,

D

die,

die, sine onere ad conjunctum pertinent. *per d. l. un. §. 3. C. de caduc. toll.* quod tamen aliquando, *ut ex d. §. 3. ibi: per raro: & §. 9. in fin. ibi: in pro non scriptis autem &c.* constat, exceptionem patitur *puta in l. 26. §. 6. de fideicom. libert. ubi rogatus servum libertate donare, cui ille vel aliud quid legatum erat, quamvis istiusmodi legatum pro non scripto habeatur, è servo tamen libertum facere haeres, ad quem legatum illud pertinet, tenetur.* Item exceptio est ex Scto Liboniano, *in l. 5. ff. de his quæ pro non script. habent. ubi quod quis sibi scripserat legatum à testatore jussus alteri restituere cum onere apud heredem, licet pro non scripto esset, remanet.*

XL I. Tertius modus accrescendi in eo consistit, *ut in hereditate portio alteri accrescat pro portionibus hereditariis i. e. pro ratione & quantitate partis hereditariae, quam unus quisque habet l. 59. §. 3. de hered. instit. l. 3. C. de testam. milit. l. un. §. 10. C. de cad. toll.* In Legatis verò pars, quæ cessat, non, ut olim, pro portione legati *per l. 41. pr. de leg. 2.* sed pro portione virili i. e. numero personarum hodie accrescit. *per l. un. §. 11 C. de cad. toll.* Dissentit Duar. *libr. 2. de l. A. c. 3. & Schrvanb. c. 10. in fin.* per virilem partem intelligentes partem legati s. partem cujusque rei, etsi æqualis non sit: ut sensus sit: portio deficiens accrescit pro ratione legati unicuique relictæ, cum pars virilis & in æqualis esse possit *l. virilis 145. de V. S. §. ult. 1. de inofficios testam.* Sed tam latè vocem *portionis virilis* hic non sumi posse, oppositio inter hæredes & legatarios facta manifestò edocet.

*De jure
pralatio-
nis con-
currentiã*

XLII. In juris adcrecendi materia non immeritò considerandum quoque venit *jus pralationis*, quò diversi generis conjuncti concurrunt, & si unus vel plures ex
iis

iis deficient, alii aliis in portione deficientis præferuntur, ut nõ tantum sui collegatarii deficientis portionem sibi acquirant, diversi generis conjunctos ab illa excludentes, sed etiam ad disjuncti deficientis portionem simul admittantur; ut tamen omnes conjuncti unius vice fungantur *l. 34 pr. de leg. 1.* & hoc prælationis jure gaudent tam verbis tantum, quàm re & verbis simul conjuncti. *per l. 89: de leg. 3.*

XLIII. Cùm itaq; Mixtim cū re tantum cōjunctis permixti sint v.g. *Primus & 2dus heredes sunt. Tertius heres esto. Quartus heres esto.* Si ex mixtis quidam suam partem ommittat; illa ad conjunctum solum, non verò ad Disjunctos simul spectat. *l. 63. de hered. inst. l. un. §. 10. vers. sin verò C. de cad. toll. l. 89 ff de leg. 3.* Sin verò ex disiunctis quis suam partem respuat, illa etiam Mixtis adcrefcit. *per cit. text.* Idem quod modò de Mixtis dictum est etiam in *verbis conjunctis* procedit, si cum Disiunctis commisceantur. *per eosdem text. v.g.* Primo & Secundo fundum Tusculanum *ex aequis partibus* do lego: Tertio fundum Tusculanum do lego. Quarto fundum Tusculanum do lego. Ex conjunctis uno deficiente, ad alterum conjunctum portio defecta pertinet, ab illa disjuncto excluso; Quod si ex disiunctis quidam deficiat, illius portio etiam verbis conjunctis acquiritur.

XLIV. Mixti cum verbis conjunctis quando concurrunt; ex mixtis deficientis pars illius generis conjuncto, *mixto scilicet tantum* adcrefcit; verbis conjunctis deficientis pars itidem sui generis conjuncto, jure adcrefcendi solum acquiritur, conjuncti enim sibi invicem tantum conjuncti sunt; iidem verò, si ad reliquos referantur, sunt Disiuncti *uti ex Barone ad §.*

si eadem res Riem: part: 1. c. 14. de 1. A. notat. Dissentit Cretschmar. th. 89. partem verbis conjuncti deficientis etiam Mixto ad crescere statuens.

XLV. Cum v. omnis generis coniuncti concurrunt e g. Primo & Secundo fundū Tusculanū do lego. Tertio fundū Tusculanū do lego. Quarto eundē fundum lego. Quinto & Sexto fundū Tusculanum *ex aq̄uis partibus* do lego. Primus & Secundus mixtim coniuncti sunt: si ex his quidam legatum capere vel nolit vel non possit, soli coniuncto re & verbis pars deficiens ad crescit. Secundus & Tertius *re conjuncti sunt* in proposito exemplo, ex quibus unus si deficiat ad illius partem tam verbis tantum quā mixtim coniuncti veniunt: hīc enim par omnium causa est. *vid. Don. 7. Com: 3. in pr.* Siquidem & conjuncti re coniuncti sunt cum Disjunctis, ut his præ illis nulla tribuenda sit prerogativa, quā conjunctos à parte deficientis excludant: Ita tamen: *ut dixi*, illa conjunctis ad crescit, ut omnes unius personæ vice fungantur h. e. nō plus, quā singuli disjuncti, accipiant. *per l. 34. pr. de leg. 1.* Sextus & Septimus verbis tantum conjuncti erant, & si unus ex his suam non agnoscat; partem illam soli sui generis coniuncto jus ad crescendi adjicit: ob rationem, quōd conjuncti sibi tantum conjuncti sint, disjuncti verō, si ad reliquos referantur.

Finis Internus,

XLVI. *Finis* juris ad crescendi alius est internus; Alius externus; Ille in hæreditatibus tam legitimis quā testamentariis est ut iformis, defuncti sc. in totū representatio. *vid. Gornetz. de 1. A c 10. N. 27: Riem. part. 1. cap. 5. & c. 6. de 1. A. hæreditas enim defuncti personam sustinet. per l. 31. §. 1. de her. instit. l. 116. §. 3. in fin. de leg. 1. l. 34. de acquir. rer.*

rer. dom. l. 15: & 22. de Vsurpat. & usuc. l. 9. C. de pos. §. 2. I de
 her. inst. pr. l. de stipul. serv. inde hæreditas in l. 31. §. 1. de her.
 inst. domina vocaturut & in l. 13. §. 5: quod vi aut clam. eam
 domina loco obtinere dicitur. Sic & in l. 13. §. 2: ad L. Aquil. ea
 pro domino habetur, ut & in l. 15. de interrogat: Hæres
 quoque defuncti personæ vice fungitur. per l. 22. de
 usurpat. unde hæres una persona cum defuncto legibus
 quodammodo videtur. Nov. 48. pr. Quemadmodum a.
 persona defuncti individua est, nemo enim pro parte tã-
 tum in rerum natura esse aut vivere fingi potest. vid:
 Frantz. Exc. 7 Ita quoque cum fictio naturam imitetur,
 §. 4. I. de adopt. vid: Duar. lib. 1. de I. A. c. 2: defunctus pro
 parte tantum repræsentari nequit. Quæ est ratio quare in
 l. 1. de acq. vel om. her. dicatur, eum, qui totam hæreditatem
 acquirere potest, pro parte eam scindendo adire non pos-
 se; Itemque in l. un. §. 10. C. de cad. toll. absurdum esse, ut
 ejusdem hæreditatis partem quis agnoscat partem vero
 respuat confer l. 2 ff. de acq. vel om. her: Repræsentatio au-
 tem illa defuncti testatoris, ut antea dictum, unifor. miter
 fieri debet, hoc est, vel ex testamento, vel ab intestato, nõ
 v. pro parte ex testamento, pro parte v. ab intestato, con-
 tra hanc juris regulam, jus nostrum non patitur, eundem
 in paganis & testatò & intestatò decessisse, quarum re-
 rum naturaliter inter se pugna est. l. 7. de R. I. item gradu
 proximo in hæreditate legitima, non v. gradu & remo-
 tiori defunctus debet repræsentari. Vid: Gometz: de I. A.
 c. 10 N. 27.

XLVI. In Legatis Finis Internus est voluntatis te-
 statoris observatio & conservatio, ne nostræ rationes à
 defuncti rationibus discrepent, qui rem eandem pluri-
 bus indivisim reliquit l. 18. in fin. de his que ut indignis. l. 34.

*pr. de leg. 1. vid. Ioh. Suv. lib. 2. de l. A. c. 4. Valent. Riem. part. .
r. 6 & hæc ratio etiam ad hæreditatem testamentariam re-
ferri potest. vid. Suv. d. l.*

XLVIII. Finis externus juris adcrefcendi (in Ca-
ducis & quasi caducis spectati,) est exclusio caducorum.
vid. Suv. d. l.: ut nomen sc. & materia caducorum ex bel-
lis civilibus aucta atque orta, ob orbe Romano exclude-
rentur & quod belli calamitas introduxerat, pacis lenitas
sopiret *vid. pr. l. un. C. de cad. toll.*

Effectus.

XLIX. *Effectus generalis* præter acquisitionem
partis deficientis, & transmissionem ad hæredes. *l. si eo
pluribus heredibus 9. de suis & legit. hered. v. Iacob. Cancer.
var. resolut. c. 22. quod est de jure accresc. n. 109. in actione con-
spicitur, quæ pro parte deficiente consequenda compe-
tit; estq; eadem, quâ pars quæ sita petita est, vel peti potuit,
res enim principalis & ei accedens eodem censerî debet
jure. l. 26. §. 2. de pact. dot: Ad partem itaq; hæreditatis ob-
tinendam suppetit vel petitio hæreditatis ; vel actio ex
testamento *l. 5. de vulg. & pup. subst. l. 12. de leg. 1. Vid. Duar.
2. de jur. adcrefc. c. 4.**

L. Pro Legati autem parte petenda, actiones
tres competunt, nempe actio personalis, hypothecaria
& Rei vindicatio: electivè, non cumulativè: ut unâ sc. ex
pluribus electâ altera intentari non possit, per *l. cum filius.
76: §. pen. de leg. 2.* ubi rationem Papinianus hanc assignat,
quòd Legatum in partes (sc. varias) dividi non possit: Nõ
enim ea mente datum est legatariis pluribus actionibus
uti, sed ut laxior eis agendi facultas sit. Hodie tamen in
Germania per consuetudinem receptum est, ut in eodẽ
libello personalis & hypothecaria alternativè cumulari
possint

possint. vid. *Myns* I. *Observ.* 58. *Gail.* 2. *Observ.* 26. N. 4. & plures alios citat. in *Col. A. ad tit. de leg. th. 55.* & apud *Suev.* libr. 3. c. 2.

LI. *Contrariantur ab initio juri ad crescendi requisitorum defectus ex inversione causarum cognoscendi, v.g. rat. cause* *Contraria.*
effic. si nulla sit facta conjunctio *rat. cause materialis*, in iis cessat, quæ ultimis volūtatibus annumerari nequeūt. *rat. form.* v.g. si nulla portio deficiat; quod etiam contingit si hæreditas non adita vel jus deliberandi transmittatur.

LII, *Ex post facto* autem jus hoc impedit facta à testatore substitutio l. 2. §. *si duo. de bon. poss. secundum Tabb. l. un. §. 3. 4. & 7. C. de Cad. toll.* utpote expressa testatoris voluntas: cū jus ad crescendi ex tacita tantū veniat. Ut a substitutio jus ad crescendi excludat; requiritur (1) ut singulariter & nominatim uni, non toti gradui substitutio fiat. *Graß. §. substitutio q. 13. n. 2.* (2) ut conditio ejus impleta sit l. 7. C. de imp. & al. subst: (3) ut valida sit & effectum habeat: v. *Jacob Cancerium variar. resolut. c. 22. quod est de jure accrescendi. n. 228. & seqq.* si enim sit invalida, aut valida quidem in se; sed effectū destituatur; tū pars conjuncto præ substituto debetur, quod testatoris substituentis voluntas non fuerit id, quod uni adscripserat, alteri adimere; sed potius substitutum conjuncto antepone, l. 2. §. *si duo. de bon. poss. secundum tabb. vid. Duar. lib. 2, cap. 16.*

LIII. In specie huic juri ex post facto contrariatur in Legatis & fideicommissis; *Prohibitio* à testatore facta: quia in his ex solius testatoris voluntate, quæ ex conjunctione inducitur, jus hoc dependet, omnis autem res, per quascunq̄ue causas nascitur, per easdem dissolvitur, c. 1. *ext.*


ext. de R. I. confer l. 35. ff. eod. in hæreditibus autem, ob concurrens legis imperium, quod, ne in testamento suo locum habeat, cavere nemo potest, l. 55. de leg. 1. vetari ita nequit, ne contra juris regulam quis pro parte testatus pro parte intestatus decedat. l. 7. de R. I.

Affinia. LV. *Affinia* huic juri sunt i. jus alluvionis l. 33. in fin. de usufr. quod utrobique accessio sine alicuius hominis facto fiat, l. 56 de acq. rer. dom. l. 53. §. 1. de acq. vel om. her. In eo autem differentia ponitur: quod alluvio latenter & paulatim portionem portioni adiiciat, jure v. ad crescendi portio vacans illico vel in momento personæ vel portioni accedat: *Hillig: in Donell. Eccl. 7. comm: 9. litt: a. 2.* Substitutio inter affinia referenda est, cum qua id commune habet, ut, quemadmodum substitutus in hæredis instituti locum cum onere succedit, ita ad cohæredem vel collegatarium ad crescens portio cum onere veniat. *l. si Titio & Mævio. 61. de Legat. 2.*

S O L I D E O G L O R I A.








ULB Halle
005 049 822


3



VD 17







Pri. Co. num. 219.

12

I. N. SS. T.

DISPUTATIO JURIDICA *1666, 3*

DE JURE ADCRESCENDI

10

P. 208

Quam

PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO, NOBILISSIMO, AMPLISSIMO & CONSULTISSIMO

DN. JOH. OTTONE
TABORE,

Jcto eminentissimo, Serenissimi Principis Hasso-
Darmstadini aliorumque Statuum Consiliario Gravissimo,
Inclytæ Universitatis GIESSENÆ Cancellario &
Professore primario,

DN. PATRONO, PROMOTORE AC PRÆ-
CEPTORE ÆTATEM VENERANDO.



Publico Examine excutiendam sistit & exhibet,

AUGUSTUS WENZENSIS
BRUNSVICENSIS,

AD D. 17. NOVEMBR.

IN AUDITORIO JCTORUM

GIESSÆ HASSORUM,

Typis JOSEPHI DIETERICI HAMPÉLII, Acad. Typogr. Ordin. 1666.